37 E 107

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE

Natura Epiſpaſticorum et Uſu.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES HEATHFIELD HICKES,

BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. S. H.

Prid. Id. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXVI.

ILLUSTRISSIMO

C U L L E N O,

HOC OPUSCULUM,

D. D. C. Q.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Natura Epiſpaſticorum et Uſu.

PRO certo fere affirmari poteſt, nullum medicamentum, quod nequeat nocere, multum poſſe prodeſſe; haudquaquam vero ambigi poteſt, quin medicamenta utiliſſima inconſulte et temerario adhibita, aegrotantibus poſſint non parum obeſſe. Quam vera ſit haec obſervatio, epiſpaſtica evidenter oſtendunt, quae modo ad ea decurrentibus ſaluti, modo noxae manifeſtiſſimae, ſunt. Ad

A notitiam

notitiam medicinae provehendam quam plurimum conferret, ſi exempla, in quibus epiſpaſtica adhibere conveniat, dignoſci et a ſe invicem accurate poſſent ſecerni. Si auctores, qui hoc argumentum ſunt executi, numeroſos conſulas, alios longe alia ſuper morbis, in quorum auxilium ſint prompta, de tempore quo adhiberi, et de partibus, in inflammationibus loci propriis, quibus admoveri debeant, opinatos eſſe comperies. Haec autem opinionum inter ſe pugnantium varietas a magna, modum, quo diverſis in exemplis in quibus adhibeantur, agant, cognoſcendi difficultate proficiſcitur. Si hunc rite compertum haberes, eos morbos, in quibus ad ea tuto confugi poſſet, ab iis, in quibus inconſiderate adhibita aegrotum magnopere laederent, pro certo diſtinguere valeres. Medicos non latere videtur, hunc prius explorari oportere, quam eaedem ſuper epiſpaſticis opiniones apud eos, qui operam medicinae ſedulo dant, invaleſcere poſſint. Theoriae vel hypotheſes actionem eorum et effectus explicandi cauſa diverſae

ſunt

ſunt excogitatae, quae omnes oblivione tandem obrutae ſunt, utpote quae rebus veris et experimentis, quibus ſolis vera medica a falſis poſſint ſecerni, nullis ſuffultae ſint. Aliquas forſitan e praecipuis et recentioribus theoriis, quae hoc argumentum illuſtrandi conſilio prolatae ſint, excutere pretium eſt; et nobis volupe erit, ſi ulla ex iis attente conſideratis reperietur, quae phaenomena, prout, epiſpaſticis corpori humano admotis, ſemet oſtendunt, plane manifeſteque poterit explicare.

Antequam vero hoc aggredimur, eorum, quae epiſpaſtica ad cutem applicata in partibus externis praeſtent, mentionem facere conveniet; unde quomodo in morbis agant, certius judicare poterimus. Vim ſtimulantem in cutem exercent, dolorem et inflammationem moventia, et ut humores poſtea ſubter cuticulam, quae in veſiculas elevatur, effundantur facientia.

Quae ſubſtantia hoſce effectus edendi conſilio plerumque adhibetur, eſt cantharides, quae poteſtatem ſanguinem diſſolvendi et attenuandi

andi habere exiſtimatae ſunt. Baglivius eas ſanguini extra corpus admiſtas eundem diſſolvere poſſe cum opinatus eſt, tum revera contendit. In hanc autem ſententiam conceſſiſſe videtur, quibuſdam experimentis parum accuratis et temerario inſtitutis inductus. Quo opinionem ſuam ad theoriam febrium, quae ſui ſeculi fuerit propria, accommodaret, commoda ab epiſpaſticis in morbis oriunda ab hoc, quod lentorem humorum et viſciditatem diſſolverent, pendere tradidit. Caeterum, quantitas cantharidum parvula, quae abſorbetur, talem in maſſam humorum circumeuntium univerſam effectum edere poſſe poni nequit. Experimenta Bagliviana ex toto refellit Percivallius, et nihil hujuſcemodi ex iis cogi poſſe clare monſtravit. Et revera ſanguinem actione epiſpaſtici ne minima quidem ex parte mutari vel affici, videri compertum habemus. Namque ſanguis, poſtquam epiſpaſticum fuit admotum, et partem exulcerare coepit, protinus emiſſus omnes dotes ſibi proprias habere viſus eſt.

Quin

Quin cantharides ſub forma emplaſtri epiſpaſtici applicatae in ſyſtema ſanguiferum per vaſcula cutis lymphatica devehantur, vix ambigi poteſt; namque ſtranguria, quae epiſpaſticum emplaſtrum non raro ſubſequitur, eas tanta quantitate, quanta meatus urinarios poſſit irritare, abſorberi manifeſte probat. Nihil vero dubitationis omnino ſupereſſe poterit, ſi effectus cantharidum, quae fuerint abſorptae, ſemet in vaſorum lymphaticorum decurſu evidenter oſtendiſſe tecum reputaveris.

Nonnulli quidem, qui urinam excernendi difficultatem protinus a muſcis vias urinarias afficientibus proficiſci concedere nolunt, eam a ſympathia ſola, quae cutem inter et has partes intercedat, oriri contendunt. Haec vero conjectura fundamento parum ſtabili inniti videtur, ſi nulla alia ſtimulantia cuti externe admota eundem canalium uriniferorum affectum facere; et cantharides minimis quantitatibus interne ſumptas ſigna omnino eadem movere conſideremus. Nonne mirabile eſt, conſenſum adeo

univerſum

universum inter omnes corporis partes diversas, quibus cantharides applicentur, intercedere, cum nihil hujuscemodi fiat, causticо vero, verive potestatem habente, sinapi, vel quolibet alio, praeter cantharides, stimulo, adhibitis? Nec levamen hujus mali gravissimi, quod fomenta calida vel adferunt vel adferre videntur, obstat, quo minus cantharides absorberi putentur; cum levationem doloris, hoc modo factam, ab acribus particulis cuti adhaerescentibus ablutis potissimum oriri credamus, quae alioquin absorptae fuissent, et irritationem viarum urinae auxissent, vel saltem diuturniorem reddidissent.

Opinione eorum, qui cantharides potestatem sanguinis attenuandi vel dissolvendi habere putent, convulsa, proximum est ut de epispasticorum actione dicamus, quae stimulans, evacuans, vel antispasmodica duci potest.

Praecipua epispasticorum actio, uti professor noster, ingeniosus sagaxque Cullenus, docet, ab effectibus, quos in fibras systematis sensiles et motrices edant, deducenda.

Partem,

Partem, cui admoveantur, ſtimulant et inflammatione afficiunt, et impetum humorum ad eandem, calore ſemper et rubore, et nonnullis in exemplis dolore et tumore perquam modicis, ſtipatum faciunt. Hi epiſpaſticorum manifeſti et conſtantes effectus ſunt; et hinc vis eorum ſtimulans partem actionis principem conſtituere putabatur. Effectus autem hujuſmodi viſibiles et perpetui notati in cauſa fuerunt, cur multi medicorum commoda ab epiſpaſticis multis in morbis oriunda per vim eorundem ſtimulantem ex toto exponi poſſe ſint opinati. Ob actionem hujuſmodi in febribus nervoſis, ubi inſignis ſyſtematis debilitas adfuit, primum adhibita ſunt. Poteſtas eorum ſtimulans fere ſemper ſe evidenter oſtendit, et, quibuſdam in exemplis, et per certa morborum ſtadia, haud dubie aegrotantibus quam plurimum auxilii promittit. Caeterum totàm, partemve etiam utilitatis eorum principem, ab hac poteſtate jure deduci poſſe negamus. Vis eorum ſtimulans loco certo plerumque continetur, et in tempus tantum, idque quidem breviſſimum,

mum, manet; namque, ſero effuſo vel epiſpaſtico ſublato, protinus ceſſat. Dolorem, quem epiſpaſtica moveant, in aliis longe alium eſſe ſaepe notatum fuit. In aliis ſtimulus totum in ſyſtema evidentiſſime diffunditur, et pulſus arteriarum multo duriores, et quoque crebriores, fiunt; in aliis, quod multo ſaepius incidit, effectus eorum haudquaquam violenti, et loco certo ex toto circumſcripti, nec pulſibus crebrioribus, nec calore corporis ſolito et naturali majore reddito. In pleriſque igitur exemplis a vi epiſpaſticorum ſtimulante nec multum boni ſperandum, nec multum noxae timendum, putamus.

Si hoc non adeo certum eſſet, ut de eo non poſſit amplius dubitari, idem argumentis etiam validioribus ſuffulcire facile foret. In phlegmaſiis fere univerſis ſummum commodum et levamen ab epiſpaſticis admotis oriri, omnes quaſi uno ore fatentur; et in morbis hujuſmodi ad ea, ut remedium perquam neceſſarium, immo ſaepe praeſentiſſimum, ſemper decurritur. In exemplis autem hoc genus, quodlibet medicamentum, quod vim ſtimulantem

mulantem in ſyſtema exercet, utpote quod diatheſin inflammatoriam, jam nimiam, haud dubie augeret, exitio inevitabili fore aperte conſtat. Et ſi actio epiſpaſticorum ſtimulans ullo in exemplo maxima eſſet, in iis morbis haud dubie admodum inſignis foret, qui ſyſtema jam tale reddiderunt, quale actioni poteſtatis ſtimulantis plurimum favet. Caeterum, in his morbis epiſpaſtica tantum abſunt, ut motum ſanguinis univerſi accelerent, ut calorem corporeum evidenter imminuant, et pulſus quoque arteriarum minus duros minuſque crebros efficiant.

Quod ſubſequitur, id quoque vim epiſpaſticorum ſtimulantem admodum topicam eſſe, probare videtur. Cum in inflammationibus loco propriis adhibentur, nunquam multum proſunt, niſi prope partem laborantem fuerint admota; et pro certo fere ſemper affirmari poteſt, commodum ab iis eo majus minuſve, quo propius partem affectam applicentur, longiuſve ab ea diſtent, oriturum. Et nihil quidem hoc certius indicat, ſtimulum epiſpaſticorum in totum ſyſtema plerumque non eſſe diffuſum.

Quod igitur uſui epiſpaſticorum (licet haec via curandi optime ceſſerit) in pleuritide fuit objectum, vim ſcilicet eorum ſtimulantem nocere, ne flocci quidem pendendum; cum experientia ſtimulum eorum plerumque admodum modicum eſſe, et nunquam longe diffundi, plane teſtetur. "The objection to the practice of bliſtering," inquit Pringelius in libro ſuo, de morbis exercitus, p. 141. "in pleuriſies, is founded on the ſtimulating quality of cantharides; but the relief is ſo certain, that theory ought only to be employed here in accounting for the reſolution of an internal ſpaſm or obſtruction, by ſuch a ſtimulus upon the ſkin."

Si vis denique epiſpaſticorum ſtimulans unquam utilis ſit, in febribus nervoſis, ubi vires toti ſyſtemati admodum convulſae ſunt, proderit.

Fructus ullus ex evacuatione per epiſpaſtica facta, necne, poſſit percipi, proximum eſt ut inquiramus. Quin humores e vaſis partium inflammatarum vicinis diſtenſis, effuſi epiſpaſticorum effectus, magis ſalutares reddant, ambigi

ambigi nequit. Hoc modo tenſionem vaſorum vicinorum, quae inflammationem potiſſimum ſuſtentat, imminuunt epiſpaſtica. Praecipuam tamen epiſpaſticorum utilitatem huic evacuationi ſoli non referendam eſſe ducimus; quamvis, multis in exemplis, in actione eorum explicanda, tam utilis ſit, ut attentione noſtra digniſſima eſſe videatur. Quanquam enim plus prodeſt evacuatio, quod humores e vaſis inflammationi vicinis effunduntur; adeo tamen quantitate exigui ſunt, tamque tarde e vaſis effluunt, ut, quantum ſyſtema univerſum ſpectet, non multum prodeſſe poſſint. Non quidem humores evacuando nihil prodeſſe epiſpaſtica contendimus; contra, nonnulla e commodis epiſpaſticorum ab evacuatione, quam faciant, oriri putamus. Hoc, me judice, aliqua ex parte probat obſervatio viri eruditiſſimi Culleni, qui actionem rubefacientium nunquam tantum prodeſſe ſolere, quantum cum veſiculas elevant, et igitur evacuationem faciunt, memoriae prodit.

Cauſis,

Cauſis, cur modum quo epiſpaſtica agere plerumque fuerint exiſtimata repudiaverimus, propoſitis; proximum eſt, ut aliam poteſtatem eorum propriam conſideremus, quae, uti opinamur, plus etiam luminis actioni eorum generali offundet; namque, praeter vires ſupra poſitas, cantharides vim potentiſſimam antiſpaſmodicam in fibras ſenſiles et motrices exercere, evidentiſſime patet. Cutis membrana eſt, cujus omnes fere partes per nervos inter ſeſe communicant. Quicquid igitur unam hujus partem afficit, omnes reliquas quoque non parum afficere poterit. Igitur, ſi epiſpaſtica admovendo, conſtrictio unius partis tollatur, relaxatio forſitan caeterarum quoque fiet. Hoc autem, viz. quod tenſionem, et ſtricturam vaſculorum cutis extremorum ſpaſmodicam tollunt, magnam epiſpaſticorum in febribus, inflammationibus, multiſque aliis morbis ſpaſmodicis, utilitatem explicat. Cum ſpaſmum vaſculis in extremis, in morbis febrilibus, ſubeſſe, tam plene clareque demonſtraverit illuſtriſſimus Cullenus, cumque eandem in ſententiam

tiam omnes fere medicae Europae ſcholae conceſſerint, argumenta omnia diverſa, quibus haec doctrina gravis innitatur, commemorare non neceſſarium duco. Unum tamen veritatis hujuſce theoriae documentum perſpicuum ſilentio non praetereundum videtur, magna ſcilicet epiſpaſticorum, in ſpaſmis ventriculi et inteſtinorum, in aſthmate convulſivo vel ſpaſmodico, multiſque aliis morbis, in quibus ſpaſmum exiſtere, nemo unquam negavit, utilitas. Medicus ille excellentiſſimus, rerumque naturae indagator curioſiſſimus, Pringelius hoc veriſſimum eſſe teſtatur. Verba autem ejus ſequuntur: " As I have more than once known the patient relieved in his bowels, as ſoon as he felt the burning of his ſkin, and, at the ſame time, have ſtools by a purge or clyſter, which had been given before without effect, we have reaſon to believe, that the bliſter acts more as an antiſpaſmodic, than as an evacuant;" (Diſeaſes of the Army, p. 150.)

Hanc

Hanc doctrinam, eo facilius recipere nobis perſuadetur, quod actionem epiſpaſticorum melius, quam quaelibet alia adhuc prolata, exponit, quod plura phaenomenorum illuſtrat, et certius, denique, quibus in morbis quoque tempore adhiberi debeant, indicat.

Hiſce theoriis diverſis de actione epiſpaſticorum jam perpenſis aliam, ingenioſe quidem excogitatam, quae a D. Georgio Fordyſio Londinenſi fuerit propoſita, adjiciendam putamus. Lex ſyſtematis univerſa eſſe videtur, duas inflammationes eodem tempore in corpore non ſubeſſe et progredi poſſe; namque altera alteram tollendi poteſtatem habere videtur. Et revera inflammationem priorem, prout altera recentior, ſive per naturam artemve fuerit mota, oritur et increſcit, decreſcere et imminui videmus. In inflammationibus, ſi metaſtaſis fiat, morbus ab una corporis parte ad aliam transfertur; cum inflammatio, quae prius fuerit orta, quo magis recentior increſcat, eo magis fere ſemper decedat. Inflammationem igitur cutis externam,

nam, per cantharides excitando conamen naturae ſalutiferum imitamur, quae unam inflammationem, alteram in locum ejus ſubſtituendo, tollere conſuevit. Analogia inter haec duo exempla magis etiam inſignis eſſe videbitur, ſi inflammationem priorem eo certius celeriuſque imminui, quo propius partem prius affectam inflammatio altera per metaſtaſin fiat, quod in epiſpaſticis adhibendis quoque incidit, notaveris.

Quo doctrinam ſupra propoſitam plenius illuſtremus, et effectus epiſpaſticorum praecipuos antiſpaſmodicos eſſe, certius oſtendamus, nonnullorum e morbis, in quibus indicentur, mentionem facere conveniet. De utilitate eorum in pyrexiis primum dicemus; et, cum in auxilium phlegmaſiarum in primis prompta ſint, pauculos morbos, ſub eo ordine comprehenſos, antequam reliquos commemorare aggrediamur, exequemur. De inflammationibus pneumonicis autem primum agemus.

Sub hoc nomine omnes inflammationes, vel viſcera thoracis, vel partes pleurae per totum

totum ejus decurſum diverſas afficientes, complectimur. In inflammationibus hujuſmodi commoda, epiſpaſticorum miranda neminem fere, per aliquot ſecula, latuerunt, adeo ut de utilitate eorum nequeat ambigi. Boerhaavius, et multi alii medici celeberrimi, uſum eorum ſub initium affectuum pneumonicorum, et omnis alius morbi inflammationem habentis, quod non celandum, refugere ſoliti; quod ea febrem, per ſtimulum ſuum adaugendo, plus nocere, quam ulla alia ratione prodeſſe putarunt. Caeterum, auctoritate Profeſſoris noſtri excellentiſſimi Culleni confiſi, ut epiſpaſtica in hiſce morbis mature adhibeantur, ſuademus. Inſuper Pringelius teſtatur, ſe nullum incommodum ab epiſpaſticis, poſt primam ſanguinis detractionem protinus adhibitis, oriri unquam vidiſſe; contra vero, quo maturius adhiberentur, eo magis ſubitum levamen eſſe conſueſſe; et denique ſe epiſpaſtica lateri, vena nondum pertuſa, ſaepe admoviſſe, ſatis eſſe, ſi ſanguis prius mitteretur, quam effectus eorum ſtimulantes ſe oſtendiſſent, ducentem. " When the ir-

" ritation,

ritation," inquit Cullenus, " of a bliſter is preſent, it renders bleeding leſs effectual; ſo the application of the bliſter ſhould be delayed till a bleeding ſhall have been employed. If the diſeaſe be moderate, the bliſter may be applied immediately after the firſt bleeding; but, if the diſeaſe be violent, and it is preſumed that a ſecond bleeding will be neceſſary ſoon after the firſt, it will then be proper to delay the bliſter till after the ſecond bleeding, when it may be ſuppoſed that a third bleeding may be delayed till after the irritation of the bliſter ſhall have ceaſed;" Cullen's Firſt Lines, p. 334. Cum morbus et dolores eum comitantes aliquandiu manſerunt, cum miſſio ſanguinis non multum levaminis adfert, cum pulſus arteriarum et celeres et parvuli ſunt, et aegrotus non amplius evacuationes ferre poteſt, epiſpaſtica quam plurimum prodeſſe conſuerunt.

Medici in ſententias de loco, cui epiſpaſtica in inflammationibus hujuſmodi admoveri debeant, diverſas iverunt. Huxhamius, ut cruribus applicentur, ſuadet, et multum pro-

deſſe, ſi extrema graviter exulcerent, memoriae prodit. Caeterum, ea quam proxime partem laborantem admovere, via curandi magis rationalis magiſque efficax eſſe videtur. Alicui thoracis parti ſemper applicari debent.

In alias inflammationes, viſcerum potiſſimum abdominis, plurimum poſſe reperiuntur, praeſertim ſi parti ipſi laboranti ſuperimponantur.

Cum haemorrhagiae ab actione vaſorum adaucta, et curſu humorum ad certum locum facto, cum diatheſi inflammatoria majore vel minore conjuncto, pendeant; nullam cauſam novimus, cur non per vires ſuas antiſpaſmodicas in haemorrhagiis, ac in phlegmaſiis, ordine morborum ab eadem conditione ſyſtematis generali pendente, epiſpaſtica aeque prodeſſent. Ea autem in haemoptoe et haemorrhagia uterina, ſucceſſu cum proſpero, revera adhibita fuiſſe comperimur. Exemplum utriuſque morbi in praelectionibus ſuis commemorat Dr Young, qui, omnibus medicamentis aſtringentibus incaſ-

ſum

ſum tentatis, per epiſpaſticum inter ſcapulas admotum ſublati ſunt.

Proximum eſt, ut de utilitate eorum in febri univerſa, abſque inflammatione loci propria, dicamus. Primum de febre communi inflammatoria verba faciemus.

Inter medicos diu certatum eſt, utrum epiſpaſtica in febribus hujuſmodi necne prodeſſent. Multi ea pro perniciosiſſimis omnium medicamentorum habuerunt. Huxhamius ad epiſpaſtica ſub initium febris inflammationem habentis decurrere, nihil aliud eſſe quam oleum igni addere, notavit. *Hoffmannus, in uſum eorum in exemplis hujuſmodi acerrime invectus eſt; et Whyttius in febribus, ubi nulla obſtructio vel inflammatio topica adeſt, veſicantia parum prodeſſe, immo nonnunquam nocere, niſi finem morbi verſus adhibeantur, cum pulſus arteriarum langueſcere incipiunt, diſerte retulit; (vid. Phil. Tranſact. vol. 50. part 2. p. 578). Contra, Sydenhamus, cujus auctoritas plurimi facienda, ea in febre acuta, quae annis 1673-4-5

* De veſicantium uſu.

4-5 graſſata eſt, adhibere non dubitavit. Signa hujus morbi, ut ea depinxit, diatheſin inflammatoriam in ſyſtemate univerſo invaluiſſe, indicare videntur. Dr Friend epiſpaſtica in febribus acutis remedium tutiſſimum et praeſentiſſimum eſſe, et materiam febrilem a cerebro deducere, et alias excretiones, praeſertim ſudorem et urinam, adjuvare et promovere affirmavit; (Friend, De veſicantibus.) Glaſs celebris, in commentariis ſuis epiſpaſtica, in febribus inflammationem habentibus, modo ſequente laudanda curavit. "In febribus inflammatoriis poſt debitam ſanguinis miſſionem locum habet id remedii; atque, licet motus arteriarum, etiamnum nimis veloces, ab eo intendantur, brevi tantum intervallo id fiet, poſtea quidem a liquatis denſis humoribus, pulſus ſentientur molliores, et febres erunt leniores;" (Glaſs, comment. p. 235.) Aliae opiniones magnorum virorum facile, ſi opus foret, poſſent proferri. Quomodo vero tantas lites componere poterimus? Hoc fieri poſſe, nullo ex auctoribus ſupra comprehenſis ignominia notato, opinamur.

mur. In febribus inflammationem habentibus, ubi nullus affectus loci certi proprius adeſt, epiſpaſtica forſitan ad ſpaſmum univerſum, qui ſuperficiem totam occupavit, tollendum non ſufficiunt; et dum, ſub initia horum morborum, irritatio et irritabilitas maximae ſunt, ſtimulus epiſpaſticorum forſitan nocere poteſt. Hoc autem opinionem medicorum prius poſitorum plane ſuffulcit. Caeterum, morbo aliquantum provecto, et irritabilitate et ſpaſmo univerſo, fonte irritationis praecipuo, per regimen antiphlogiſticum et remedia idonea imminutis, non tantum minus periculi ab viribus epiſpaſticorum ſtimulantibus timendum, ſed plurimum commodi a poteſtate eorum antiſpaſmodica, ut Sydenhamus aliique medici celebres notaverunt, ſperandum.

Uſus eorum in febribus a debilitate pendentibus, ut in typho, vel febre nervoſa, proxime conſiderandus.

Epiſpaſtica multo plus auxilii in his febribus, quam in illis, promittere videntur. Et in exemplis quidem hujuſmodi ab optimis medicorum, quos ſecula recentiora viderint,

derint, cum ſucceſſu proſpero fuerunt adhibita. Non tamen effectus eorum bonos a vi ſtimulante, ut multis perſuaſum eſt, oriri credimus; namque admodum dubium eſſe videtur, quatenus tutum ſit ſtimulum inflammatorium adhibere, ubi forſitan cum notis extremi languoris irritatio ſyſtematis ſimul conſociatur. Et utilitas quidem eorum univerſa ea non per poteſtatem ſtimulantem agere plane teſtatur. Cum vero ſigna putredinis, et igitur debilitas univerſa, ſemet oſtendere incipiunt, epiſpaſtica ab omnibus ſummo jure laudantur; namque nihil periculi omnino ab poteſtatibus eorum ſtimulantibus vel reſolventibus, quarum poſteriores conjecturales tantum eſſe probaverimus, timendum eſt. Quantum utilitatem eorum in febribus nervoſis et putridis ſpectat, auctoritati D. Lindi innitimur, qui in diſſertatiuncula ſua de febribus et contagione, ut epiſpaſtica in febribus nervoſis adhibeantur, ſuadet. "I have more than once in an evening ordered eight or ten patients to be bliſtered, and have left them with a quick pulſe, great heat, immoderate thirſt,

a pain, confuſion, and heavineſs of the head; and what, to a phyſician converſant with ſuch fevers, communicates a moſt certain knowledge of the condition of the patient, ſuch a lifeleſs ſunk ſtate of the eyes, as denoted great danger. But, next morning, I found theſe patients with a lively briſk eye, a calm pulſe, and a deſire to get out of bed."

Cum, ut ſaepe in typho incidit, delirium accedit, et ſanguis aegroto, ob debilitatem, detrahi nequit, emplaſtrum epiſpaſticum amplum capiti admotum utiliſſimum eſſe, experientia demonſtrat.

Supereſt, ut de nonnullis morborum ſub claſſe *Neuroſes* comprehenſorum dicamus. Ordinem vero *ſpaſmi* tantum exequemur, cujus multi ſunt morbi, in quibus epiſpaſtica ſummo cum commodo adhibita fuerunt. Non omnes, ſed pauculos tantum, in quibus, velut in cholica, effectus eorum boni inſignes fuerunt, referemus. Hoc in morbo adhibita quam maxime profuerunt. In doloribus inteſtinorum fixis a ſpaſmo oriundis, quan-

quanquam nullae inflammationis notae adsint, abdomini applicata aegrotantes admodum levant; ut locus Pringelianus supra citatus abunde testatur. Vomitione gravi et continua, ventriculo motibus dolorem summum facientibus et convulsivis affecto, conflictantibus epispastica regioni epigastricae superimposita saluti esse saepe reperta.

Nihil obstat quo minus dentitionem reliquis morbis spasmodicis adjiciamus. In hac, ut in aliis affectibus spasmodicis, ob causam eandem, prosunt. Optimi medicorum, ut epispastica in convulsionibus, quae dentientes saepe invadant, adhibeantur suadent. Utilitas quidem eorum hoc in exemplo manifestissima et talis est, qualis ad ea confugi debere pro certo demonstrat.

Hoc in opusculo, si quid ingenium sapere videatur, id ex toto professoris excellentissimi Culleni esse volentes confitemur, cujus super epispasticis notiones, quantum eas noverimus, in vulgus edendas curavimus.

FINIS.